

www.e-rara.ch

... Ad subsequentes theses de societate

Spiegelberg, Johannes

Basileae, 1574

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH EL I 4a:64

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-16106>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C. P.
**IMPE TRATO CONSENSV AM-
PLISSIMI SENATVS IVRIDICAE FACVLTATIS**
IN INCLYTA ACADEMIA BASILIENSI, AD
subsequentes theses de Societate publice respondere conabitur,

IOHANNES SPIEGELBERGIVS NORTHEIMENSIS,
28. Octobr. anno 1574. Hora &
loco consuetis.

Societas est contractus iurigentium nominatus, in quo bona fide contrahentes societatem de rebus honestis ineunt: eo animo, ut res operantur, earumque rerum lucra & damna inter ipsos communicentur.

1. Collegium licet etiam uocetur societas, in multis tamen differt à societate.

2. Communio item differt à societate.

3. Ad substantiam huius contractus consensus requiritur.

4. Consensus declarari potest uel re, uel uerbis, uel per nuncium, uel literas.

5. Contrahitur autem societas uel uniuersorum bonorum, uel negotiationis alicuius, siue uel legalis, siue unius rei.

6. Quod si societas uniuersorum bonorum contracta sit, non tantum ea, quae ex quaestu ueniunt, sed & hereditates & legata communicantur.

7. Si certa alicuius negotiationis, ea, quae ex negotiatione proueniunt, communicantur.

8. Si unius rei tantum, ea, quae ex illa re descendunt, communicanda ueniunt.

9. Ea uero res, quae ex delicto ueniunt, ut furto, uel ob poenam amissa praestitaque, inter socios iure non communicantur.

10. Contrahitur autem societas uel in perpetuum, hoc est, dum socij uiuunt; uel ad tempus, uel ex tempore, uel sub conditione.

11. Societas autem pacto ad heredem transferri non potest, nisi sit societas uel legalis.

12. Societas si dolo malo aut fraudandi animo inita sit, ipso iure nullius est momenti.

13. Pacta de lucro & damno inter socios communicando, quatenus non pugnant cum natura & sine huius contractus, omnino sunt seruanda.

14. Partibus lucris & damni inter socios non expressis, aequas eas esse constat.

15. Si duo inter se pacti sint, ut ad unum eorum duae partes lucris & damni pertineant, ad alterum tertia, ualet conuentio.

16. Item potest conueniri, ut quis nullum damnum sentiat, & lucrum commune sit.

17. Quod tamen ita accipiendum est, si aestimatione operae haec inaequalitas compensetur.

18. Verum nulla societas ita iniuri potest, ut quis solum lucrum, alter solum damnum sentiat.

19. In societate pactum de lucro adiectum, intelligitur etiam de damno, & uice uersa.

20. Soluitur societas ex personis, rebus, uoluntate & actione.

21. Ex personis, ueluti, quando homines intereunt, quod sit morte naturali uel civili.

22. Ex rebus, cum aut nulla relinquuntur, quarum societas esse possit, aut conditionem mutarunt.

23. Uoluntate distrahitur societas renunciatione, quae fit uel expresse uel tacite, modo temeraria non sit uel intempestiua.

24. Actione distrahitur cum aut stipulatione, aut iudicio mutata est causa societatis.

25. Finita nunc societate damnum & lucrum conferendum est, & sua cuiuslibet pars attribuenda.

26. Si tamen socius dolo uel culpa damnum admisit, compensatio non fit.

27. Ad hanc partem consequendam datur actio pro socio, socijs inuicem eorumque heredibus.

28. Socius conuentus hoc iudicio damnatur in id, quod facere potest.

29. Hoc tamen beneficium à legibus socijs concessum, ad heredes eorum non transit.

30. Ob dolum commissum in societate perdit socius hoc beneficium.

31. Ceterum hoc iudicio damnatus fit infamis.

